

Daniel. 3. 6.   
 Ester 7.

Præclara sunt huius exempla, in lacu leonum, in camino Babylonico, in cruce Aman.   
 Vers. 10. transit ad generalem bonitatis & fidei Dei commendationem: quam laudat in eo quod omnia excellat, sitque omnium maxima. Ita quippe solemus magnitudinem eorum quæ vel laudamus vel vituperamus, exprimere, vt dicamus ea cælos attingere. Est autem hîc notandum, quomodo sancti soleant à priuatis beneficijs Dei venire ad considerationem & commendationem generalis bonitatis Dei, ne videantur bonitatem Dei coarctare in ea quæ sibi fiunt, vel eam deputare suæ ipsorum probitati: sed vt assignent veluti causam eorum beneficiorum Dei, quæ ipsi à Deo accipiunt, immensam ipsius bonitatem, terram & omnia replentem collaudant, & laudandum proponunt.

Discimus itaque hoc loco ista duo. Primum, ad laudandum Deum opus esse præuio beneficiorum Dei sensu. Alterum, ex priuatis Dei beneficijs agnoscendam & deprædicandam esse generalem bonitatis Dei excellentiam.

PSALMVS LVIII.

AD PRÆCINENDVM NE PERDAS, DAVIDI MICHTHAM.

ARGVMENTVM PSALMI.

Malitiam eorum, qui Saulem contra se instigabant, describit Propheta: simulq; meritis pœnas cum imprecatur, tum prædicat.

Dispositio Psalmi.

Habet autem Psalmus quatuor partes. Prima continet inuectiuam aduersum assentatores Saulis: vers. 1. & 2. Altera malitiam eorum depingit: vers. 3. 4. 5. Tertia vindictam condignam illis & imprecatur & prædicat: vers. 6. 7. 8. 9. Quarta complectitur fructum, qui ex improborum vindicta nascitur: vers. 10. & 11.

VERS. I.

**N**VM verè, o concilium, iustitiam loquimini? num recta iudicatis, filij Adam?

2. At iniquitates in corde concinnatis, in terra calumniam manus vestre appendunt.

3. Alienati sunt impij ab utero, errauerunt, à vulua loquentes mendacium.

4. Venenum illis sicut venenum serpentis, sicut aspidis surda, obturatis aurem suam.

5. Quæ non audit vocem incantantis, magi inter magos præstantis.

6. Deus destrue dentes eorum in ore eorum, molares leunculorum cõfringe Domine.

7. Diffluent sicut aqua, quæ abeunt sibi: sagittæ eorum ubi diriguntur, erunt sicut quæ abscissa chorda dilabuntur inanes.

9. Antequam spina vestra intelligat rhamnum, sicut viuunt, velut in furore subuertet eum.

10. Latabitur iustus cum viderit vindictam, pedes suos lauabit in sanguine impij

11. Et dicet homo, Certè fructus est iusto, certè est Deus iudicans in terra.

LECTIO.

Vers. 1.

O concilium.] Ebr. אלה Græc. & vulgat. Lat. Vtique. Sic & Hieron. & Iustin. Felix: Mutam. Pagnin.

Vers. 2.

O congregatio. Tigurina: O manipule. Camp. Vt vos quibus pronincia iudicandi rectè mandata est.

Vers. 4.

Appendunt.] Græc. & vulg. Lat. Concinnant. Felix: Aequilibrabunt. Pagn. Appendetis.

Vers. 5.

Venenum illis.] Ebr. חמה למי. Græc. & vulg. Lat. & Felix: Furor illis. & Hieron. & Iustin. Furor eorum.

Vers. 7.

Pagn. Venenum est illis.

Magi inter magos præstantis.] Ebr. חובר חברי מחבם. Græc. sic: φαρμακῶν φαρμακωμῶν παρὰ σοφῶν.

Vers. 7.

Vulg. Lat. Et venefici incantantis sapienter. Hieron. Ne incantatoris incantationes callidas. Felix: Venefici incantantis incantationes docti. Pagn. Incantantis incantationes sapientis effecti. Felinus: Magi artibus magicis præstantis.

Vers. 7.

Erunt sicut quæ abscissa chorda dilabuntur inanes.] Ebr. כמי יחללו. Græc. & vulg. Lat. Donec infirmantur, Hieron. Donec conterantur. Iustin. Subitò conteruntur. Felix: Sint ac si confringerentur. Pagn. Sed erunt ac si essent excisæ.

Vers. 8.

Sicut limax, quæ diffluens abit.] Ebr. ימי שכול תמסיחלן. Græc. & vulgat. Lat. Sicut cera quæ fluit, auferentur. Hieron. Quasi vermis tabefactus pertranseant. Iustin. Sicut limax tabefactus pertranseant. Felix: Velut cochlea, quæ sit, perget.

Vers. 8.

Velut abortiuum mulieris.] Ebræ. גבל אשה. Græc. & vulg. Lat. אשה legerunt אשה, & reddiderunt, Supercecidit ignis.

Vers. 8.

In versu ultimo, Iudicans in terra. Græc. & vulgat. Lat. Iudicans eos in terra. Eos, non est in Ebræo.

PRIMA PARS.

Vers. 1. & 2.

Per apostrophen reprehensoriam primum assentatores ipsos Saulis, homines impios, calamitatis suæ authores, & conflatores alloquitur, illisque opprobrat iniustitiam, iniquitatem cordis, & calu-